

DISPUTATIO JURIDICA SOLENNIS
DE
COLLATIONE
BONORUM,
JURIS PRUTENICI,

LXII

113

12

1716, 3

Vulgo:

**Von Einbringung der Güter
in Schicht und Theilung/**

Pr. R. Lib. 5. Tit. 14. Art 2.

QUAM

AUXILIANTE DEO,
*DECERNENTE AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO
CONSENTIENTE INCLYTA FACULTATE JURIDICA,
IN ACADEMIA ALBERTINA.*

PRO LOCO,
*PROFESSIONIS ORDINARIÆ TERTIO,
Publicæ disquisitioni submittit*

DAVID STAVINSKI, U. J. D.

Respondente

JACOBO SALOMONE *Metzger*

Medn. Pruss.

IN AUDITORIO MAJORI.

Anno 1716. die 8. Octobris

Horis ante, & pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

AUGUSTISSIMO,
SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DN. FRIDERICO
GVILHELMO,
REGI BORUSSIÆ,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,
SUPREMO ARAUSIONENSI, NEOCOMENSI ET VALLAN-
GINENSI PRINCIPI,
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM,
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDA-
LORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNIÆ
D U C I,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI & MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINI, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ & LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ & VLISSINGÆ,
DYNASTÆ RAVENSTEINI, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,
LAUBENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAIE AC BREDÆ, &c. &c. &c.
REGI AC DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc cum voto perpetuæ felicitatis
devota mente ac submisso gratitudinis cultu offert
subjectissimus

DAVID STAVINSKI, D.

I

De
COLLATIONE BONORUM
JURIS PRUT.

Germ.

Von Einbringung der Güter in Schicht
und Theilung.

Pr. XX. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| <p>Collationis Vox quid hic significet? §. 1.
Propositum. §. 2.
Collationis descriptio. §. 3.
Methodus. §. 4.
Collationis Causa. §. 5.
Alia Juris Romani antiqui. §. 6.
Alia Juris Justiniani. §. 7.
Quae jure nostro recepta. §. 8.
Collationis subjectum, non, nisi liberi parentibus ab intestato successuri. §. 9.
Sivè sint sui sivè emancipati, qui quoad necessitatem conferendi non differunt. §. 10.
Separatio liberorum moderna multum differt ab emancipatione Romana. §. 11.
Ut & à Separatione Lubecensium §. 12.</p> | <p>Quod de Suis in Jure nostro constitutum est, non mox facit discrimen suorum & emancipatorum. §. 13.
Neque interest cujus sint Sexus. §. 14.
Et Nepotes avo jure representationes succedentes Collationi sunt obnoxii. §. 15.
Licet ab hereditate paterna vel materna se abstinerint. §. 16.
Collatio tamen locum non habet inter liberos à parentibus in Testamento institutos. §. 17.
Adeoq; nepos una cum parente suo ab avo institutus, id quod ab avo antea accepit conferre non tenetur. §. 18.
Neque filiâ bona mente exheredata nepos ex ea ab avo</p> |
|---|--|

A

in-

institutus id quod matri datum est, conferre necessum habet. §. 19.

Liberi successioni parentum renunciantes, collationi non sunt obnoxii. §. 20.

Nisi dos aut donatio propter nuptias iis data sit inofficiosa. §. 21.

Renuntiatio hereditatis futura non semper obstat Liberorum successioni; nisi sit jurata aut judicialis. §. 22.

Renunciatio liberorum praefunctorum, non nocet nepotibus, modo conferant, quod parentibus ab avo datum est. §. 23.

Illegitimi prout non succedunt ita nec collationi sunt subiecti: excip. naturales respectu matris, 24.

Ascendentes turbato ordine mortalitatis, & collaterales succedentes ab intestato collationi non sunt obnoxii §. 25. ubi Limit.

Conjux tamen, post obitum conjugis in dimidiam partem Culmensensem succedens, conferre tenetur undecunque acquisita. §. 26.

Objectum Collationis sunt bona parentum propria liberis antea data: Non ergo feuda respectu filiarum, nisi novum sit feudum. §. 27.

Non propria liberorum, aliunde acquisita. §. 28. & 29.

An dos nepoti ab avo data, à filio sit conferenda? §. 30.

Non praelegata. §. 31.

Neque donata. §. 32. & 33.

Nisi donatio sit in officiosa, aut rerum mobilium soo. floren. pol. excedens, aut immobilium quantarumcunque, judicialiter non confirmata. §. 34.

Neque alimenta, sumptus studiorum, aut artificii addiscendi, vel dignitatis consequenda. §. 35.

Limit. §. 36.

Cum dote & donatione propter nuptias etiam expensa in convivia nuptialia facte sunt conferenda, licet à patre non sint consignata. §. 37.

Item Vestes & ornamenta, non tamen quotidianae. §. 38.

Quod pater pro filio condemnatio solvit conferendum: non quod pro captivo. §. 29.

An?

An, quod amplius non extat, con-
ferendum? 40. 41. & 42.
Integra Dos filie data, a nepo-
tibus in hereditatem avi est
conferenda, licet dimidia
ejus pars ad filie prædefun-
ctæ maritum, & altera dun-
taxat ad nepotes pervenerit.
§. 43.
Lucrum dotis & donationis pro-
pter nuptias conferendum
non est. §. 44.
Neque usure & fructus, nisi
à tempore mora. §. 45.
Collatio fieri debet ante heredi-
tatis divisionem, vel in ea
ipsa. §. 46.
Ea ex errore omiffa, divisio re-
scindi potest. §. 47.
Quandoque collatio fit cautio-
ne vel pignoraticia vel fide-
jussoria. §. 48.
Regulariter Juramento Colla-
tionis. §. 49.
Quod tamen cessare debet, si
conferenda alia ratione pos-
sent probari. §. 50.
Collatio fieri debet alternative
vel in ipsa re, vel in aestima-
tione. §. 71.
Ita tamen, ut electio sit conferen-
tium. §. 52.

³
Aestimatione ab iis electa, reli-
quis quoque non est deneganda
electio, ex quibus rebus
hereditariis pro rebus conse-
s, sibi velint satis fieri.
§. 53.
Effectus Collationis est, quod res
collata fiat hereditaria. §. 54.
Et unà cum hereditate delata
nondum tamen acquisita
transeat in heredes libero-
rum defunctorum quales-
cunque. §. 55.
Minor in Civitatibus jus optandi
habens, illud retinet, licet
plus conferre teneatur, quam
ipse ex paterna hereditate
pro sua parte rata obtine-
re possit. §. 56.
Cessat Collatio (x) ex paren-
tum voluntate, si eam pro-
hibuerint. §. 57.
Limit. §. 58.
Nihil interest, an prohibitio sit fa-
cta in Testamento, vel alia
ratione. §. 59.
Sive sit expresse, sive tacite fa-
cta E.G. si liberi in testamen-
to heredes scripti sint absq;
mentionem Collationis. §. 60.
Aliud exemplum tacite prohi-
bitionis, si liberis posterioris
A 2 ma-

matrimonii in compensatio-
nem ejus, quod liberis prioris
matrimonii datum est, quid
prælegatum sit. §. 61.

Nuda tamen datorum consigna-
tio paterna, non mox exclu-
dit tacitam remissionem Col-
lationis in testamento fa-
ctam. §. 62.

Cessat Collatio (2) ex privilegia
ta bonorum à parentibus li-

beris datorum qualitate.
§. 63.

Etiā inter conjuges; ubi privi-
legium professoribus compe-
tens indigitatur. §. 64.

Cessat Collatio (3) ex volun-
tate liberorum hereditati pa-
ternæ vel maternæ renun-
tiantium; Non tamen (4)
ob interitum rei conferendæ.
§. 65.

§. I.



Ocem Collationis, quæ variæ significa-
tionis est, ut prolixè explicemus, præ-
tium operæ haud esse putamus, cum ista
varietas jam ab aliis notata sit, & ab ad-
junctis pro materia substrata facile discer-
ni possit. Ex inscriptione germanica
nostræ Dissertationis: *Von Einbringung der Güter in
Erbrecht und Theilung* jam apparet, nobis esse propositum
de ea Collatione differere, quæ quasi privatæ quædam
Contributionis genus est, faciendæ inter liberos, qui simul
ad parentis defuncti successionem aspirant.

§. II. De qua materia extant quidem complures tra-
ctatus, Vitalis Nemaufensis, Joh. Saportæ, Georg. Adam.
Brunneri, Arnoldi Vinnii, Stephani Forcatuli, & Docto-
rum Commentaria ad *Tit. ff. & C. de Collat.* ut taceam Differ-
tationes ea de re peculiare; ex quibus materiam Colla-
tionis huc transcribere animus non est. Sed quid Jure
nostro Prut. ea de re constitutum, & maxime id quod à
com-

5
communi doctrinà in diversum abit, speciminis Academici
loco exhibebimus.

§. III. Ex Jure nostro Collationem bonorum sic descri-
bendam esse putamus, quod sit actus, quo liberi parentibus
ab intestato successuri, ea quæ à parentibus in nuptias, vel
separandam eorum œconomiam erogata sunt, sibi invicem
conferre tenentur, ut æqualitas ex præsumpta parentum
voluntate inter illis ferretur. Nihil moramur, collatio-
nem bonorum ab aliis aliter esse descriptam vid. Lauterb.
Diss. de Collat. Dotis p. 1. §. 3. Stryck. *in Tr. de Success. ab intest.*
Diss. XI. C. 1. §. 4. Nam alias descriptiones Juri nostro non
per omnia accommodari posse, facile fuerit demonstratu,
si id esset propositi nostri. Sufficit autem nobis, nostram
Collationis bonorum descriptionem ad nostrum Jus ador-
natam esse, & ejus materiam sic complecti, uti ea Jure no-
stro Prut. est determinata *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2.*

§. IV. Singulæ Descriptionis nostræ partes ex sequen-
tibus sicut illustriores, ubi hanc servabimus methodi ratio-
nem, ut primo Collationis bonorum Causam: dein subje-
ctum seu personas Collationi obnoxias: tertio objectum seu
res conferendas; quarto Collationis tempus & modum:
tandem ejus effectum & contraria ex jure nostro sumus per-
lustraturi.

§. V. Causa Collationis bonorum communiter dicitur
esse Legis dispositio, ita ut ubi lex collationem exigens ces-
sat, etiam collatio cessare debeat. *Mev. ad Jus Lub. p. 2.*
Tit. 2. Art. 5. n. 36. Brunner. *de Collat. Cap. 3. n. 138. seqq.* Cum
autem in *L. 1. pr. ff. de Collat.* dicatur: hunc Titulum Colla-
tionis manifestam habere æquitatem; ad solam legis dispo-
sitionem causam collationis referre incongruum esset; hinc
paulo altius illa est investiganda.

§. VI. Apud Romanos Collatio primitus introducta esse videtur ex causa minuendæ injuriæ, quæ suis fieri videbatur, per bonorum possessionem, qua & emancipati ad hereditatem paternam admittebantur. Cum enim ex *Legibus XII. Tabularum*. Sui solùm succederent patri, exclusis emancipatis §. 9 *Inst. de hered. qua ab intest.* Prætor ex fucata æquitate naturali hos ad successionem una, cum suis admittens, in compensationem ejus quod suis per bonorum possessionem emancipatorum decedere videbatur, æquum esse judicavit, ut sua quoque bona emancipati in medium conferrent, qui appetebant paterna *L. 1. pr. ff. de Collat.*

§. VII. Sed postquam discrimen suorum & emancipatorum quoad jus succedendi per *Nov. 118. C. 1.* fuit sublatum & descendantibus cujuscunque potestatis & sexus ascendentium successio delata, illis quoque bonorum, non quidem priorum, sed à parentibus acceptorum Collatio fuit injuncta, ut inter illos æqualitas servetur, neve unus à defuncto parente plus altero accepisse videatur. *L. 17. C. de Collat.*

§. VIII. Ex eadem itaque æqualitatis causa Jurè quoque nostro Prut. descendantibus ad ascendentium successionem aspirantibus injuncta quidem est Collationis necessitas: sed cum ista æqualitas inter liberos, non dependeat à præcepto quodam Juris Naturæ, quod quidem omnibus parentibus officium & obligationem imponit liberos non tantum alendi & educandi, sed & eos quoque ad idoneum & honestum vitæ genus applicandi, & præcipuè iis de honesta nubendi conditione prospiciendi. vid. *Pufend. de Off. Hom & Civ Lib. 2 C. 3. § 11. Sirac. C. 7. v. 27.* ast necessitatem haud injungit, ut æquis portionibus bona sua inter liberos dividant, sed liberum relinquit, uní atque al-

7
alteri liberorum præ ceteris eximii quid assignare, vel ob
singularia merita, vel ob præclaram spem, vel etiam ob
peculiarem affectum vid. Pufend. *Tr. de Jure N. & G. Lib. 4.*
C. 11. §. 8. Hinc ista æqualitas, quæ Collationis causa est,
dependet ex præsumpta voluntate parentum, qui commu-
niter omnes liberos ex æquo diligere, & adeoque etiam æ-
qualitatem inter illos servare solent. Utque adeo omnis in
Jure nostro de Collatione bonorum facta dispositio, quoq;
à voluntate parentum dependeat, & locum habeat, nisi
parentes ea de re disposuerint aliter *Pr. L. N. d. Lib. 5. Tit. 14.*
Art. 2. §. 1. & 5. quod tamen, qua ratione denuo limitandum
fit, inferius patebit.

§. IX. Ad Collationis subjectum progredimur, confi-
deraturi personas Collationi obnoxias, quas Jus nostrum
c. l. §. 1. denominat. verb. **Wann dann die Erben zur Erbhei-
lung in Eölmischen Gütern (wie nechst hiedor im ersten Articul
gemelder) schreiten;** quæ verba generalia mox in sequentibus
restringuntur ad heredes descendentes successuros ascen-
dentibus verb. **Was dann derselben einer oder mehr von sei-
nen Eltern an Ehesteuer/ Wiederlag/ Hochzeit/ Kleider/ Ge-
schmuck und andern Unkosten empfangen.** Ex quibus verbis
patet, omnibus heredibus ex ordinè descendantium parenti-
bus successuris Collationis necessitatem esse injunctam.

§. X. Neque interest inter suos & emancipatos, quo-
rum discrimen non solum de Jure Justiniano per supra al-
legatum *Nov. 118.* quoad jus succedendi, sed maxime de
Jure nostro Prut. est sublatum, & omnibus descendantibus
respectu ascendentium qualiumcunque Jus Suitatis datum
est. *Pr. L. N. L. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1.* Nec obstat quod in no-
stro textu *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 2.* emancipatis sit injuncta
necessitas conferendi verb. **Emancipiret oder sondert der Ba-**
ter

ter und die Mutter einen ihrer Söhne oder Tochter von ihnen mit ihrem Gut; Sie bleiben in der Eltern Kost oder nicht; Wollen sie nach des Vaters oder Mutter Tode ihr Erbtheil ansprechen / und gleiche Theilung haben; so müssen sie in die Theilung bringen mit ihrem Eyde alles das Gut da sie mit absondert waren / ob es fahrend-Naabe ist. Ist es aber ander Gut das man beweisen mag / da dörffen sie nicht für schweren / &c. quæ Collationis necessitas suis remissa esse videtur *Lib. 4. Jur. Prut. Tit. 14. Art. 1. §. 4.* verb: und ist daher auch nicht schuldig / das Gut so ihm geschencket wieder in die Theilung zu bringen oder zu conferiren.

§. XI. Facilis tamen est conciliatio utriusque textus, licet ex diversis fontibus sibi invicem sæpe è diametro contrariis exhausti: Nam §. 2. *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. Juris Prut.* est ex Jure Culmensi vid. Disp. sub Præf. B. Dni. D. Pauli de Academia nostra benè meriti habita, tractans quæst. *An Liberi post finum ruptum in bon. ex div. parentem superst. in Test. necess: instit. vel exh. teneantur?* §. 20. & hoc Jus Culm. ex Speculo Saxon. *Lib. 1. Art. 13.* desumptum; Cujus Articuli verba huc transferre lubet: Sondern der Vate. und die Mutter einen ihrer Söhn oder Tochter von ihm mit ihrem Gut / sie sundern sich mit ihrer Kost oder nicht / wollen sie nachs Vaters oder Mutter Tode ihr Erbtheil wieder ansprechen / der Bruder gegen den Bruder / oder die bemannte Tochter gegen der unausgestatterten Schwester / sie müssen in die Theilung wieder einbringen mit ihrem Eyde alles das Gut da sie mit absondert waren / ob es fahrend Naab ist / sondern Gerad. Ist es aber ander Gut / das man beweisen mag / da mögen sie nicht für schweren. Vides, hunc textum Juris Sax. fere per omnia convenire cum nostro §. 2. *Jur. Prut. L. 5. Tit. 14. Art. 2.* nisi quod inter alia vox. emanciparet / quæ in nostro §. addita est, in
 Tex-

9

Textu Juris Sax. non deprehendatur, eo quod emancipatio Romana Germanis, antequam Jus Romanum erat receptum, non fuerit cognita vid. Illustr. Thom. in *Diss. de Quasi emancip. Germ.* §. 25. quæ vero Germanis usitata fuit separatio liberorum, qua parentes liberis vel matrimonii vel ex alia causa aliquam bonorum partem assignabant, vix aliquid commune cum emancipatione Romanâ habuerit. Nam postquam Justinianus in *L. ult. C. de Emancip.* priscas emancipationis solennitates, per trinam venditionem imaginariam perendas sustulit, adhuc tamen constituit ut emancipatio fieret judicialiter, ast Separatio fieri potest privata parentum voluntate: emancipatio fiebat à patre, non matre, secus ac separatio: in illa pater in præmium emancipationis, dimidiæ partis bonorum adventitiorum filii emancipandi usum fructum retinere poterat. *L. 6. §. cum autem C. de bonis quæ lib.* in assignatione bonorum parentes de suo largiuntur quid liberis separandis: illa liberabat liberos à patria potestate; sed hæc quoad hunc effectum ad huc dubia est vid. *d. Diss. An. Lib. post Sin. rupt.* §. 20. & D. Thomasi *all. Diss. de Quasi Emancip. Germ.* 25. Utq; adeo hinc recte concludere possimus, vocem emanciparet, in nostro textu additam, non proprie de emancipatione liberorum romana, sed abusivè de eorum separatione quoad bona intelligendam esse, quod & contextus probat; minime tamen inde inferri potest, liberos à parentibus quoad bona separatos tantum collationi subjectos esse, non vero suos.

§. XII. Nam ex hæcenus dictis, ni fallor satis constat, minus recte liberos separatos de Jure Prut. opponi aut contradistingui Suis, cum & illi jura Suitatis, id est, necessariæ Successionis pariter cum aliis liberis retineant, modo conferant ea quæ à parentibus occasione separationis acceperunt;

B

runt;

runt; qua in re differunt ab iis qui Jure Lubecensi à parentibus separati sunt, quique per hujusmodi separationem excluduntur regularitur ab aliis liberis non separatis à Successione parentum, vid. Mev. *ad Jus Lub* p. 2. *Tit. 2. Art. 33. & Stryk. de Success. ab intest. Diss. 1. C. 4. §. 23. & seqq.* Sed quæ apud nos ex Germanico jure recepta est, Separatio, non tollit jura Successionis, nisi ei accesserit liberorum renunciatio futurae successionis jurata vel judicialis. **Pr. XX.** *in fin. §. 2. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2.*

§. XIII. Ast, quod in §. 4. *Jur. Pr. Lib. 4. Tit. 14. Art. 1.* constitutum est, donationem parentum liberis in potestate adhuc existentibus factam non valere, nisi morte patris confirmata, vel in emancipatione liberorum non revocata sit; id quidem ex Jure Civili *L. 25. C. de Don. inter Vir. & Uxor. L. 17. C. de Donat. L. 31. §. 2 ff. eod.* petitur est; sed quod subsequitur: istam donationem morte patris vel emancipatione confirmari adeo ut ea in hereditatem paternam reliquis liberis conferenda non sit, id contra jus Justinianicum *L. 13. C. de Collat.* vid. Stryk. *Diss. XI. C. 4. §. 13. & 14.* ex moribus German. vid. *Spec. Sax. L. 1. Art. 10.* additur, non eo pertinet, ac si, quoad Collationis necessitatem distinctio sit inter liberos in potestate constitutos & emancipatos: sed quod simplex donatio modica, rerum mobilium, ex mera liberalitate paterna, non autem respectu officii facta collationis necessitati non debeat esse obnoxia, quæ de re infra suo loco plenior differendi occasio erit.

§. XIV. Ulterius inter liberos parentibus successuros, quoad necessitatem conferendi nihil interest, cujuscunque sint sexus. Prout enim in bonis hereditariis & Culmensibus liberi utriusque Sexus parentibus ab intestato succedunt æqualiter, ita ut filiis nulla præfiliabus competat prærogativa:

II
tiva: ita quoque uterque sexus necessitati collationis est
subjectus. *Pr. LX. L. 5. Tit. 14. Art. 1. § 1.* verb: Wäre aber
kein Testament vorhanden / und also die Erben in gleichem
Stande stünden: so sollen sie auch alle zu gleicher Theilung
in Colmischen Gütern / die Töchter so wol als die Söhne (allein
die Lehn-Güter ausgenommen) eintreten; Also daß einem so
viel als dem andern werde. Es hatten dann ihrer etliche zu-
vor hinweg / daß sie derowegen wiederum zu conferiren und ein-
zubringen: oder aber so lang bis die andere Mitt-Erben jeder
auch so viel vergnügt werde / von Rechts wegen stille zu stehen
schuldig wären. &c.

S. XV. Liberis quoque ulteriorum graduum nepoti-
bus scilicet & pronepotibus jure repräsentationis avo suc-
cedentibus injuncta est Collatio eorum quæ ab avo vel avia
eorum parentibus defunctis data sunt. *Pr. LX. Lib. 5. Tit.
14. Art. 2. §. 4.* Es hat auch ferner die Gerechtigkeit überzehl-
ter Collation oder Einweisung zu erfordern nicht allein gegen
die noch lebende Mitt-Erben / sondern auch der wieder abge-
storbenen Mitt-Erben Kinder statt. Also daß auch an die-
selben in der Abtheilung / wann sie an ihrer Eltern Statt tre-
ten und mit erben wollen / mag begehret werden / ihrer Eltern
empfangene Zugift Heyrath-Gut oder Wiederlegung (dotem
& donationem propter nuptias) oder auch anders so sich von
Rechts wegen zu conferiren gebühret / gleicher Gestalt wie an-
dere Mitt-Erben / einzubringen.

§. XVI. Sed magna est dubitatio, an nepotes vel pro-
nepotes se ab hac conferendi necessitate queant liberare, si re-
pudient hereditatem paternam vel ab ea se abstineant? sin-
gularis est sententia B. Dn. Strykii & aliorum quorundam
ab eo allegatorum in *Diss. XI. C. 2. §. 15.* istam questionem in-
distinctè affirmantium. Alias communiter distingunt Dd.

an nepotes diversorum liberorum prædefunctorum soli: an vero cum propriis thiiis seu cum patruis avunculis, amittis vel materteris suis ad avitam hereditatem concurrant. Priori casu collationem cessare volunt, non posteriori; ex ratione, quod priori casu nepotes in pari gradu existentes, proprio jure ad hereditatem avitam perveniant: in posteriori autem casu jure repræsentationis Petr. Heig. *Illustr. Quæst. P. 1. Q. 24. n. 37.* Lauterb. *in Comp. ff. de Collat. p. 537.* Quam quidem rationem diversitatis fallam esse agnoscit Carpzov. *P. 3. C. 11. def. 34. n. 5.* Cum & soli nepotes ex diversis Liberris nati, avo non proprio sed repræsentationis jure, instirpes, non in capita succedant; nihilominus tamen à communi DD. sententia recedere veretur Carpz. *d. l. n. 7.* à qua nec judicem in judicando, nec jureconsultum respondendo facile cedere oportere ipsi videtur. Veruntamen nobis tanta auctoritas communis sententiæ Ddorum non est, ut, si ea fundamento & ratione destituatur, norma in judicando & respondendo nobis esse videatur: & quidem in præsentī casu eo minus, quo non tantum generaliter nepotibus ad hereditatem avitā adspirantibus imposita est necessitas conferendi ea, quæ eorum parentes prædefuncti ab avo de cujus hereditate agitur acceperunt: sed & reliquis cohæredibus jus conceditur à nepotibus loco parentum succedentibus Collationem exigendi; huic autem juri per repudiationem hereditatis paternæ, nepotes præjudicare non possunt *arg. L. 74. & L. 155. pr. ff. de Reg. Jur. & sic non semel curiam quoq; Parisiensem judicasse refert Vinnius C. 12. de Collat. S. 1. in fin. conf. Anton. Faber. in C. L. 2. T. 3. de fin. 17. n. 10. & seqq.*

§. XVII. Communiter etiam statuitur, Collationem locum habere inter liberos etiam in testamento à patre institutos, prout à Justiniano in *Nov. 18. C. 6. & auth. ex Testamento*

mento *C. de Collat.* ita constitutum est, quo jus antiquum, in *L. 3. & 6 ff. de dot. Coll. L. 35. ff. Fam. Erusc. L. 1. & 7. C. de Collat.* Collationem in Successione ex Testamento paterno non expresse eam injungente, excludens, fuit abrogatum. Veruntamen jus nostrum Prut. ab ea sanctione Justiniana recedit, & Collationem cessare debere constituit, ubi parentes in Testamento liberos heredes instituerunt absque mentione facta Collationis **Pr. LX.** *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* Verb: oder stillschweigend durch geschene Erb-Einsetzung ohne Vermeldung der Einbringung & §. 5. verb: oder aber die Kinder insonderheit zu Erben instituiret / ohne einig Vermelden der Einbringung: so soll es auch dabey bleiben und kein Kind das andere darüber zum Einbringen oder Collation treiben.

§. XVIII. Cui consequens est, quod, si contingeret, avum in Testamento suo neptem ex filio unà cum eo & aliis liberis heredem instituisse, cui antea dotem dederat in futuram hereditatem conferendam: ea tamen conferenda non sit: non quidem ex illis quas Lauterb. in *Diss. de Collat. Dotis P. 1. §. 13. n. 8.* affert, rationibus, quæ altioris sunt indaginis, sed ex simplici & perspicua Juris nostri Prut. ratione, quod pater liberos heredes in Testamento instituens, absq; mentione facta collationis, eam tacite videatur remississe.

§. XIX. Pariter quoque in Casu, quo parens filiam, cui certam pecuniæ summam ea conditione dederat, ut in futuram hereditatem ea conferretur, Testamento postea condito, bona mente exheredem scripsit, nepotibus ex ea natis, una cum reliquis liberis institutis, putamus nepotés ad collationem istius pecuniæ, quam mater eorum ab avo acceperat non esse adstringendos. Quamvis enim dubitari posset, utrum non dotarum oblitus esset testator, aut præ tumultu mortis eorum non esset memoratus in Testamento,



quare Justinianus Collationi quoque inter liberos institutos, quibus à patre ea expresse non est remissa, locum dedit in *Nov. 13. C. 6.* Quia tamen Jus nostrum ab ea Sanctione Justiniana recedit, & collationem inter liberos in Testamento institutos, quibus ea expresse injecta non est, cessare vult, hinc in casu supposito nepotes ex jure nostro ad Collationem haud posse compelli existimamus.

§. XX. Haec de liberis necessitati collationis obnoxii actum est. Ex quo facile apparet, quinam liberi ab ea necessitate sint immunes. Scilicet conferre nihil tenentur, qui parentibus non succedunt ab intestato. Unde qui liberi dote, aut donatione propter nuptias à parentibus accepta contenti, ab hereditate paterna vel materna se abstinent aut ei renunciant, non tenentur, quod acceperunt, conferre. *Pr. LX. d. 1. §. 4.* Verb: *Da aber der Kinder oder Enkel eines nicht Erbe seyn wolte/sondern sich mit seiner empfangenen Zugifft Heyrath-Gut oder Wiederlegung begnügen lassen / und darauff der Erbschaft renunciiren und ent schlagen; so soll es obgemeldter Collation und Einwerffung zu thun nicht verbunden seyn.* Quod extendimus etiam ad dotem vel donationem propter nuptias à parentibus non quidem datam sed saltem promissam, quam tanquam aë alienum post mortem parentum exigere possunt liberi, si ea contenti esse, & reliquam hereditatem parentum repudiare velint *arg. L. fin. ff. de Collat. Dot.* vid. *Christin. Vol. 4. Decif. 2. n. 4. in fin.*

§. XXI. Quod in §. præc. diximus: liberos hereditatem parentum repudiantes, dotem vel donationem propter nuptias reliquis conferre non tenere, id limitandum est: nisi tanta dōs aut donatio propter nuptias alicui liberorum sit constituta, ut reliquis Legitima non sit salva; tunc enim etiam qui hereditati renunciarunt ad supplendam reliquorum

rum legitimam compelli possunt. **Pr. XX.** *Lib. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 5.* Es wäre dann daß die Donation und Ubergab übermäßig groß wäre/ daß aus dem übrigen Gut den andern Kindern an ihrem Erbtheil zu viel geschehe / und zu merklichem Nachtheil und Abbruch dienete / und ihnen nicht möchte ihr natürliches Pflicht-Theil Legitima genandt / ihres rechten Erbfalls erfolgen und zukommen. Dann in diesem Fall ist das Kind / dem solche Donation und Gabe geschehen / schuldig so viel einzuwerffen oder in die Theilung zu bringen / damit den andern Geschwistrigen derselbe ihr Theil völlig werden möge. *cc. Quantum autem reliquis liberis loco legitimæ saluum esse debeat ut, qui magnam dotem vel donationem propter nuptias acceperunt, ad collationem supplementi legitimæ, conveniri non possint Jur. Prut. Lib. 5. Tit. 3. constitutum, & explicatum in Disp. nostra de legitima Juris Prut. §. 31.*

§. XXII. Sed qui renunciarunt hereditati parentum, utrum, non obstante renunciatione, nihilominus ad parentum hereditatem sint admittendi, si ea quæ acceperunt conferre velint? distingvendum nobis est, utrum renunciatio post obitum parentum, & postquam liberis eorum successio delata est, facta sit; an vero ad huc parentibus viventibus. Priori casu ad jura, quibus liberi majorenes renunciarunt, non datur regressus *arg. L. 2. C. si ut omiff. heredit. vel bonor. poss. vid. Stryk. Tr. de Success. ab intestato Diss. 3. cap. 10. §. 54.* Posteriori autem casu iterum distingvendum est, an renunciatio paternæ vel maternæ hereditatis parentibus vivis nude sit facta; an vero cum juramento aut judicialiter: simplex renunciatio non obstat quo minus qui renunciarunt liberi postea adhuc ad defuncti parentis successionem sint admittendi, modo collationis necessitatem subeant; **Pr. XX.** *L. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 2.* Verb: und sollen mit solchem Einbringen

gett

gen zugelassen werden/ ob sie gleich der Erbtheilung dadurch ren-
nunciiret. Cujus rei ratio ni fallor, est, quod liberi sapius
non libere, sed metu reverentiali, ad renunciationem hu-
jusmodi soleant, commoveri: Ne itaque parentes sua po-
testate in liberos abutantur, ita ut sic pro suo lubitu privato
eos à successionem illis lege delata excludere possint, talis re-
nunciatio simplex invalida esse judicatur. Vid. tamen Stryk.
d. Diff. 8. C. 10. §. 19. Qualis tamen præsumptio metus & ab-
usus paternæ potestatis cessat in renunciatione jurato vel
judicialiter facta. Adeoque qui liberi sic renunciarunt her-
editati paternæ, illi nequidem cum onere conferendi ad
successionem admittuntur, Pr. LX, l. cit. Verb: **Sie hätten
dann solche für gehegtem Ding gethan / oder mit ihrem leiblich-
en Eyde beschworen.**

§. XXIII. Quid? si filius vel filia, qui dote vel dona-
tione propter nuptias accepta valide, id est vel judicialiter
vel jurato paternæ vel maternæ hereditati renunciarunt,
ante patrem vel matrem morerentur, utrum nepotes ex iis
nati avo vel aviæ superstites ad hereditatem avitam cum,
vel sive onere conferendi ea qua parentes eorum acceperunt,
sint admittendi? Jus Prut. quidem *Lib. 4. Tit. 16. Art. 4. §. 5.*
nepotes admittendos esse constituit, sed de necessitate con-
ferendi nihil determinat, quare supplendum mihi esse vi-
detur ex nostro loco, ubi de collatione exprofesso agitur &
nepotibus generaliter necessitas conferendi injungitur *vid.*
supr. §. 15. Nec obstat, quod in *d. §. 5.* dicatur: nepotes, præ-
mortuis parentibus ad hereditatem avitam, proprio jure
venire: Verb: **Dann sie kommen alsdañ zu ihres Groß-Va-
ters Erbschafft aus ihrem eigenen Recht als Enckel / und nicht
von wegen ihrer verstorbenen Mutter / die den Fall nicht erlebet
hat.** Contextus enim monstrat, ista verba restringenda esse
ad

ad hereditatis paternæ vel maternæ renunciacionem , à filio vel filia factam , quæ stricti juris est, ut non nocere debeat nepotibus avo succedere volentibus conf. Carpzov. *P. 2. Const. 35. d. 11.* Stryk. *Tr. de Success. ab intest. Diss. 8. C. 10. §. 76 & seqq.* Attamen cum & hoc casu nepotes ad avi successiõnem de Jure Prut. *Lib. 5. Tit. 13. Art. 1. §. 7.* non proprio in capita, sed repræsentationis jure in stirpes admittantur, æquum est ut etiam liberorum renunciantium præ defunctorum liberi ad hereditatem avitam quidem, non obstante renunciacione paterna juxta *§. 5. Art. 4. Tit. 16. Lib. 4.* sed non aliter quam cum onere conferendi *juxta §. 4. Art. 2. Tit. 14. Lib. 5.* admittendi sint. Alias nepotes liberorum qui renunciarunt, melioris essent conditionis, quam alii de quibus *§. 16.* Dissidentis Carpzovii sententia *P. 2. Const. 35. def. 13.* nititur hypothesi ad Jus nostrum haud applicabili, quod nepotes hoc in casu ea propter nihil conferre teneantur, quia ab avo ex paterna vel materna hereditate nihil acceperunt *arg. L. 2. §. 2. ff. de Collat.* quam hypothese in inferius examinandi occasione habebimus.

§. XXIV. Liberos illegitimos ut prolixè à necessitate conferendi immunes pronunciemus, operæ pretium non est; Cum ista immunitas conjuncta sit cum exclusionè à successiõne paterna *Pr. LX. L. 5. Tit. 12. Art. 1. §. 10.* Naturales tamen matri unà cum reliquis uternis succedentes, *Pr. LX. L. 2. Tit. 1. Art. 2. §. 4.* quin, si quam dotem aut aliud tale quid antea à matre acceperunt, id conferre teneantur, dubium non est *Lauterb. Diss. de Collat. Dot. P. 1. §. 21. n. 2.*

§. XXV. Ex dictis *§. 9. & seqq.* facile constat à necessitate conferendi eximendos quoque esse ascendentes turbato ordine mortalitatis liberis prædefunctis succedentes, ut & collaterales; de his enim nullibi dispositum & cautum est,

est, quod oneri Collationis debeant esse obnoxii. Sinè Legis dispositione autem necessitatem conferendi extendere temerarium esset Vinn. *C. 5. n. 2. Struv. in Not. ad Anton. Matth. Tr. de Success. C. 17. §. 32. & seqq.* Adeoque si quis vel matri suæ secundò nubenti, vel forori dotem constituisset, & postea intestatus esset mortuus, dos ista reliquis hæredibus ab intestato conferenda non est Lauterb. *d. Diff. P. 1. §. 8. & 9.* Anton Faber *in C. Lib. 2. Tit. 3. def. 1. circa fin.* nisi animo credendi hoc in casu dos sit data. *arg. L. 50. Fam. Hered. & L. 51. §. 1. in fin. ff. cod. L. 13. §. 15. & LL. seqq. ff. de Hered. Petr.*

§. XXVI. Conjuges quidem sibi invicem successuri in dimidiam partem bonorum culmensium juxta dispositionem *Lib. 5. Tit. 12. Art. 5.* quoque obstringuntur ad Collationem omnium bonorum undecunque vel ante matrimonium vel stante eo acquisite, sed hæc Collationis species à nostra plane est diversa. Neque enim dependet à præsumpta defuncti voluntate sed à dispositione Statuti, communionem bonorum conjugalem firmantis, quod nulla ratione per testamentum defuncti immutari aut minui potest; quare, ut ea de Collatione prolixius agamus instituti ratio non admittit.

§. XXVII. A personis Collationi obnoxiiis vel non, progredimur ad Objectum Collationis, & considerabimus bona quæ conferenda sunt. Ea in nostro Jure *l. cit. & alibi* passim sic determinantur, ut quæ ex bonis culmensibus, quæ alibi allodialia seu propria vocantur *Pr. LX. Lib. 7. Tit. 2. §. 13.* à parentibus antea liberis nuptiarum causa data sunt, in divisionem hereditatis sint conferenda *vid supra §. 9.* Ex quo ad objectum collationis requirimus (1) ut bona, quæ à parentibus liberis data sunt, propria fuerint ejus parentis, de cujus successione ab intestato agitur. Excluduntur

duntur ergo bona feudalia, quæ filiis præcipua sunt, & hinc filiabus non conferuntur, nisi quod quarta pars æstimationis Feudi filiabus inde præstanda sit, juxta dispositionem *Lib. 4. Tit. 15. Art. 3.* Quod si tamen parens omnia sua bona propria impendat in feudi alicujus acquisitionem, post obitum ejus filii quidem id feudum præ filiabus habent præcipuum; attamen ejus æstimationem filiabus in tantum conferre tenentur ut his salva inde sit legitima vid. Strykii *d. Tr. de Success. ab intest. Diss. XI. C. 3. §. 6.*

§. XXVIII. Excluduntur etiam à necessitate Collationis alia bona, non à parentibus, de quorum hereditate agitur profecta, sed aliunde liberis quæsita. Ut ut enim de jure Rom. antiquo emancipati & propria bona conferre debuerint, qui expetebant paterna; id tamen ex peculiari causa ita erat constitutum *vid. supr. §. 6.* & nostro jure non obtinet. Quæ enim non ex bonis parentis, de cujus successione agitur, sed aliunde liberis obvenerunt, conferenda non sunt. *L. ult. C. de Collat.*

§. XXIX. Ex quo consequitur, quod liberi succedentes matri tantum conferre debeant, quod à matre acceperunt: & quod à patre datum est, id si liberi succedant patri conferre necessum habeant. Quod vero ex communibus bonis culmensibus ante sinum ruptum seu ante matrimonii dissolutionem à parentibus datum est liberis, id quoque, mortuo alterutro parente, si inter conjugem superstitem & liberos ex isto sinu seu matrimonio natos divisio bonorum communium in duas partes est instituenda, conferendum est *Conf. Vinn. C. 12. §. 1. Carpz. P. 3. C. 11. def. 27. dis. sent. Lauterb. de Collat. Dot. P. 2. resol. 1. ex Jure Würtenb.*

§. XXX. Sed si avus vel avia nepti cuidam vel nepoti quid in dotem vel in donationem propter nuptias aut similem

milem causam dedisset, utrum filius vel filia ex quibus nati sunt nepotes dotati, id reliquis cohæredibus conferre necessum habeat? Videndum esse nobis videtur, an contemplatione filii vel filia, an vero ex singulari affectione erga nepotem vel neptem avus vel avia id dederint. Priori casu id conferendum est, perinde ac si filius vel filia id ipsi accepissent. Quod enim filii vel filia intuitu & contemplatione nepoti datum est, id ipsi filio vel filia datum esse confetur, adeoque reliquis fratribus & sororibus aliisque cohæredibus conferendum est. *L. 6. ff. de Collat.* Imo & nepos vel neptis, id quod ab avo contemplatione parentis sui accepit, in ejus successione tenetur conferre *Vinn. c. 12. § 2. Lauterb. d. Diff. P. 1. §. 46.* Posteriori autem casu, ubi avus vel avia ex singulari affectione erga nepotem vel neptem, quid dedit, id conferendum non est *arg. L. 79. pr. ff. de Jure Dot. conf. Pr. LX. Lib. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 4.* Verb: und ist daher auch nicht schuldig das Gut so ihr geschenkt wieder in die Theilung zu bringen oder zu conferiren.

§. XXXI. Ad objectum Collationis (2) requirimus, ut bona conferenda à parentibus adhuc in vivis existentibus liberis sint data *Pr. LX. d. L. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* Verb: Was dann dertelben einer oder mehr zuvor von seinen Eltern &c. quæ autem in Testamento liberis sunt prælegata, collationi non sunt obnoxia vid. *Pr. LX. L. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1. Brunnem. ad L. 10. C. de Collat.* Imo licet pater prælegatum in Testamento alterutri liberorum relictum, ipse exfoveret, filius tamen postea id conferre non teneretur, quia id ex Judicio patris præcipuum habet, adeoque contra voluntatem patris ad ejus collationem compelli nequit *Carpz. P. 3. C. 11. def. 8. n. 11.*

§. XXXII. Præterea (3) ad objectum collationis requi-

quirimus ut, quod à parentibus in liberos profectum est, non ex mera liberalitate parentum, sed intuitu officii datum fit: & quidem ejus officii, consistentis in eo, ut parentes liberis, quos hactenus aluerunt & educarunt, quam ocys prospiciant de honesta nubendi conditione *Sirac. c. 7. v. 27.* deque honesto vitæ genere; & ut, quantum ratio & occasio fert, ipsorum fortunam fundent & promoveant *Pufendorff. de Off. Hom. & Civ. L. 2 C. 3. § 11.* Quod itaque parentes respectu hujus officii liberis dederunt, id conferendum est, ne aliis liberis de eadem officii ratione aliquid decedere videatur. Quod autem ex peculiari affectione & mera liberalitate liberis datum est, collationi non est obnoxium *vid. supr. § 30.*

§. XXXIII. Quamvis enim & nostro Jure donatio patris facta liberis in potestate existentibus alias invalida habeatur, ita ut quodocunque revocari possit; ea tamen firma habetur quæ ante mortem patris aut circa emancipationem filii non est revocata, adeo usque, ut, quod donatum est, tanquam ex judicio patris præcipuum liberi retinere possint & conferre non habeant necessum **Pr. LX.** *Lib. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 4.* vid. tamen *B. Stryk. d. Diff. XI. C. 4. § 14. vid. supr. §. 13.*

§. XXXIV. Quod diximus, simplicem donationem ex mera liberalitate parentum in liberos profectam ante mortem parentum aut circa emancipationem haud revocatam, non esse conferendam, id *d. l. in §. 5.* duobus modis limitatur. (1) Nisi tanta sit, ut reliquis liberis ne quidem legitima sit salva, quo casu ista donatio usque ad supplementum legitimæ conferenda est (2) nisi sit donatio rerum mobilium quorum valor & pretium quingentos florenos polonicos excedit, aut rerum immobilium quantarumcunque; qua-

qualis & quanta donatio aliter non valida est, nisi ex justa causa & judicialiter facta; alias ea esset conferenda.

§. XXXV. Non tamen omne quod parentes ex officii ratione liberis dederunt, sed (4) illud duntaxat, quod ex communi erga omnes liberos æqualiter alias se exerente officio & fere ejus finiendi gratia liberis jam expatria potestate abeuntibus, in nuptias, dotem, donationem propter nuptias, & similem hujusmodi causam datum est, collationi obnoxium est. Nam quod liberis in potestate existentibus pro necessitate alimentorum, educationis, studiorum, & artificii addiscendi vel dignitatis alicujus consequendæ datum est à parentibus, id conferendum non est **Pr. LX. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 3.** Verb: **Darnach sollen auch die Kinder zu conferieren nicht schuldig seyn / was nemlich der Vater auff seine Söhne/ in ungetrentem Busen / wann sie noch keine besondere Güter haben / dieselbe zum Studio zu unterhalten/ oder andere ehrliche Handthierung oder Handwerck zu lernen/ oder sie zu einem Ehren Stand zu bringen/ gwendet &c.** Subest enim in hisce sumptibus peculiaris ratio officii parentum, ut pro cuiusvis liberorum captu & indole hujusmodi sumptus faciant; neque enim ex quovis ligno fieri potest Mercurius: subest quoq; favor publicus, ut liberi in hujusmodi studiis & artibus instruantur, quibus aliquando Reipublicæ prodesse possint. Cum itaque hujusmodi sumptus maxime sint necessarii, sed pro diversitate artium addiscendarum, diversi, ita ut ad æqualitatem, inter liberos, pro diverso eorum captu inæquales, commode redigi nequeant, hinc collationi non sunt regulariter obnoxii.

§. XXXVI. Non vacat, omnes horum sumptuum à necessitate conferendi exceptorum extensiones & restrictiones Doctorum exscribere & hic referre, quod in im-

men-

mentum excreceret. Sufficit nobis restrictiones Juris nostri indigitare. Id. quod de sumptibus istiusmodi non conferendis constitutum est, restringitur in *all. §. 3. Jur. Prnt. (1)* ad liberos nondum per sinum morte alterutrius parentis ruptum exdivisos (2) qui propria bona non habent (3) de quibus parens in Testamento vel alia ultima voluntate ratione horum sumptuum non disposuit aliter (4) & qui hos sumptus quoque revera in studia & artes collocaverunt. Unde consequitur hujusmodi sumptus conferendos esse (1) si liberi propria habeant bona vel materna vel aliunde quaesita Carpzov. *P. 3. C. 11. def. 19.* quod tamen alii denuo limitant: modo bona ista consistant in pecunia numerata vel in aliis rebus fructiferis vid. Joh. Heeser. *de Bonorum inprim. conjug. communione P. 2. Loco 24. n. 72.* (2) si pater in Testamento vel alia ultima voluntate eorum sumptuum Collationem liberis injunxerit; id enim patrem facere posse, sine ratione valida negat Brunner *C. 4. de Collat. n. 135.* refutatus à Strykio *d. Diff. XI. C. 6. §. 9.* Sola tamen horum sumptuum consignatio paterna nobis non videtur sufficere, ut inde mox necessitas conferendi sit inferenda Finkelth. *Observ. XI.* nisi alia accedat conjectura voluntatis paternae Stryk. *d. Diff. XI. C. 3. §. 11.* vid. tamen Carpzov. *cit. l. def. 20.* (3) si sumptus male locati, & commestationibus, scortationibus, ludis, aliisque voluptatibus prodigaliter sint consumpti **Pr. XX. d. §. 3.** Verb: Jedoch da sich befinden würde / daß dieselben Söhne solchen / zum Studio oder sonst auff Sie gewandte Unkosten übel angeleget / überflüssige Kosten mit Zehrungen verschwenden / Schencken / Spielen / Banquetiren / oder in andere ungebührliche Wege getrieben / dadurch auch viel Schulden / so die Eltern folgendes für sie bezahlen müssen / gemacht hätten: Sollen sie solches einwerffen / oder ihnen in der

der Erbtheilung abziehen zu lassen/schuldig seyn. Sola tamen ruditas filii, & quod ignorantiae afellus remanserit, non mox inducit probationem, quod sumptus istiusmodi male locati fuerint & ea propter sine conferendi Heeser *c. l. n. 69. (4)* Si hisce sumptibus aliorum liberorum legima sit exhausta *Pr. P. L. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 5.* Heeser. *cit. loc. n. 78. & seqq.* Stryk. *d. Diss. XI. c. 3. §. 22.*

§. XXXVII. Nuptiarum causa à parentibus liberis data sint, oportet, quæ regulariter conferenda sunt. Qualis est dos filiabus data, ut facilius honestam nubendi conditionem consequantur, utque onera matrimonii commodius sustineri possint: qualis quoque est donatio propter nuptias quæ filiis uxorem ducentibus dari solet, ut securitas dotis eâ constitui, & œconomia inde adstrui possit. Sed una cum dote & donatione propter nuptias, & ipsæ nuptiæ jubentur conferri *Pr. LX. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* Verb: *Hochzeit* / quod non aliter, quam de expensis in convivia & alias festiuitates nuptiales factis, intelligi potest. Et quidem nulla est dubitatio, quin, si pater vel mater has expensas consignauerint, ut conferrentur, salva Collationis res sit. Sed si talis consignatio facta non sit, dubitari posset, eo quod fere omnes DD. negent huiusmodi expensas conferendas esse, ex ea ratione, quia non amplius extant *arg. L. 2. §. 2. ff. de Collat.* & quia parentes hos sumptus pro honore & existimatione propria, non vero in gratiam liberorum, qui nullum inde commodum habent, fecisse videantur, vid. *Carpzov. P. 3 C. 11. d. 21* Heeser. *P. 2. Loco 24. n. 89. & seqq.* Veruntamen nec communis sententia Ddorum, nec rationes pro ea adductæ, tanti sunt momenti, ut ea propter à Sanctiōne Juris Prut. tuto recedere valeamus: Nam jus nostrum eas expensas statuit conferendas esse regulariter, & saltem

25

excipit: si eorum collatio à parentibus vel expresse vel tacite liberis sit remissa. Cum itaque exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, sequitur quod, si parentes harum expensarum Collationem nec expresse nec tacite remisserunt, eæ sint conferendæ, licet nulla earum consignatio paterna appareat: prout dos, donatio propter nuptias & simile quid nuptiarum causa datum; quæ omnia conferenda sunt, licet nulla eorum consignatio à patre facta sit, modo alia ratione possent probari. Ad *arg. L. 2. §. 2 ff. de Collat.* inferius respondendi occasio erit. Quamvis etiam dici possit: Filias hisce expensis elocatas in lucro esse, quod non solum nuptias celebrando rebus suis pepercerint, sed & dona nuptialia, quæ neo nuptis dari solent in compensationem harum expensarum, acceperint. Et adeoque melioris forent conditionis, quam filix juniores in nuptæ, si has expensas non tenerentur conferre.

§. XXXVIII. Minus dubii est, quod Vestes, ornamenta & alia quæ nuptiarum causa liberis dari solent, sint conferenda per expressum textum *Juris Prut. d. §. 1.* verbis *Kleider. Schmuck und andere Unkosten.* Cui quoque suffragatur communis Ddorum Schola vid. *Gail. L. 2. Obs. 91 n. 5.* *Carpz. P. 3. C. 11. def. 11. n. 6.* *Heeser. d. l. n. 39* Quod tamen de Vestibus & aliis expensis generaliter in *Jure nostro cit loc.* constituitur, id restringi solet ad festivas vestes vulgo *Braut. Kleider* & ornamenta alicujus pretii, sumptusque occasione nuptiarum à parentibus factos. Nam vestes quotidianæ & ornamenta vilioris pretii ut & alii sumptus pro alendis liberis facti, conferri non debent, sicut nec quotidiana alimenta *vid. supr. § 35.* Conf. *Stryk. d. Diff. XI. C. 4. §. 17.*

D

§. XXXIX.

§. XXXIX. De aliis sumptibus extra causam alimentorum & nuptiarum factis, ambigitur, utrum sint conferendi? utpote si pro filio condemnato poenam solvat pater. Ea nobis videtur conferenda esse quia hocce debitum culpa filii est contractum adeoque ei imputandum *arg. §. 3. Jur. Prut. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2.* Verb: **Dadurch auch viel Schulden so die Eltern folgendes für sie bezahlen müssen / gemacht hatten.** Unde inferimus quod si pater pro filio captivo pretium redemptioni vel ut illum à militia, in quam absque culpa sua incidit, liberaret, solverit, illud conferendum non sit, *arg. L. 17. C. de Capt. & possim. rev.* Ratio diversitatis in eo situ quod hic animus donandi in patre adesse videatur, *arg. L. 34. ff. de Neg. Gest.* non ibi, ubi pater pro filio poenam solvit, vid. Stryk. *c. l. C. 4. n. 18.* quod si tamen & poenam pro filio solvat pater animo donandi sufficienter declarato, collationem ejus cessare putamus cum Carpzov. *P. 3. C. 11. def. 25.* & Hæser. *cit. loc. §. 99.* quicquid etiam statuat Stryk. *d. C. 4. §. 13.*

§. XL. De rebus conferendis non amplius existentibus gravis est dubitatio an earum æstimatio conferenda sit? Communiter ex *L. 2. §. 2. ff. de Collat.* distingvi solet, an dolo vel culpa liberorum eæ sint deperditæ, an vero casu: ita ut priori casu eorum æstimatio sit conferenda: non posteriori; *Vir enim bonus arbitraturus non est, conferendum esse filio vel quod nec habet, nec dolo nec culpa desit habere per d. L. 2. §. 2.* Ex qua lege Doctores generale formant axioma, quod ea duntaxat, sint conferenda, quæ tempore mortis paternæ vel maternæ reperiuntur in bonis conferentis, non alia quæ nec dolo nec culpa sunt deperdita vid. Stryk. *d. Diss. c. 6. §. 2. & seqq.* Christin. *Vol. 1, Decif. 178. n. 1,* Lauterbach. *Diss. de Collat, Dot. P. 1. §. 37.*

§. XLI.

§. XLI. Verum enim vero facile id concesserim si ista quæstio ex Jure Civili & d. L. 2. §. 2. ff. de Collat. esset decidenda. At si dicendum quod res est, ista lex minus caute moribus nostris applicatur: Loquitur enim de emancipatis qui olim non solum accepta à parentibus sed & propria bona undecunque quæsitæ, quæ adhuc extabant, conferre debebant, ex peculiari, quam *supra* §. 6. notavimus ratione quæ tamen jure nostra cessat. Cessare itaque debet & Lex 2. §. 2. ff. de Collat. eo quod moribus nostris discrimen fuorum & emancipatorum sublatum, & omnibus descendentibus jus sunitatis quoad successionem ab intestato datum sit **Pr. XX. Lib. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1.** quodque liberi non alia bona, quam quæ à parentibus profecta sunt, conferre teneantur: ubi non tam respectus habetur lucri, quod liberi ex bonis acceptis tempore mortis paternæ vel maternæ habent, quam æqualitatis, ut & reliqui liberi tantundem accipiant, quam acceperunt alii; & hinc bona accepta indistincte moribus conferenda esse notat Grænv. *ad d. L. 2. de Collat. n. 2.* sive adhuc in bonis sive deperditæ sint, addita ratione quod res pereat suo domino; quam quidem rationem non concludere putat Strykius *all. loc.* eo quod hic dominus sit simul speciei conferendæ debitor qui liberatur interitu rei debitæ *arg. §. 3. Inst. de empt. Vend.* Cum tamen liberi non simpliciter, sed alternative vel ad rerum acceptarum, vel ad earundem æstimationis collationem teneantur, prout inferius demonstratum dabimus; in cujusmodi alternativa obligatione, licet alterutrum præstari non possit, nihilominus alterum debetur, hinc concludimus periculum rerum conferendarum esse liberorum quibus incumbit col-

latio, & eos rebus conferendis deperditis nihilominus ad collationem æstimationis esse obstructos.

§. XLII. Et quod de interitu, diximus, id quoque de determinatione conferendorum intelligendum esse putamus, ut, sive casu sive culpa liberorum res conferenda sit deterior, ea ipsa vel in statu, quo tempore elocationis fuit, vel ejus æstimatio conferenda sit, quicquid etiam statuunt Ddores ad tempus Collationis respiciendum esse putantes vid. Lauterb. *d. Diss.* §. 41. Et quidem si res conferenda culpa ejus, qui eam conferre tenetur deterior facta est, nemo dubitaverit, illam conferendam esse in statu quo tempore elocationis fuit, vel in eo valore aut æstimatione: Sed & deteriorationem casu factam hic putamus nocere debere ei, cui contigit non aliis *arg. L. 31. ff. de condit. & de monstr.*

§. XLIII. Cui consequens est, integram dotem, donationem propter nuptias & quicquid elocationis gratia liberis datum est à parentibus, conferendum esse, licet dimidia pars ejus ex Jure nostro ad conjugem defunctorum liberorum; superstitem, aut ad conjugis defuncti heredes pervenerit. Quamvis enim Carpzov. *P. 3. C. 11. def. 32.* rationem Collationis cessare statuatur, in eo quod maritus vel conjux superstes ex statuto lucratur; quia id amplius nec in parentibus dotantis nec in filia defunctæ hereditate existit, adeoque nec ejus collatione, quod non amplius existit, nepotes onerandos esse volit; interim sententia Carpzov. & aliorum statuentium: quod tantum sit conferendum quantum perceptum est vid. Stryk. *d. Diss. XI. c. 2. §. 14.* nititur ea hypo-

hypothefi, quam antea jam §. 40. destruximus. Et hinc in casu, quo parentes filia mariti expriore matrimonio liberos habenti, nuptæ, 12000. florenos tanquam subsidium aliquod paternum in futuram hereditatem conferendum dederant, filiâ anteparentes defunctâ, nepotes ex ea nati, quamvis integram quantitatem 12000. florenorum in hereditatem avitam avunculis suis conferre necessum habuerint non tamen amplius quam dimidiam eorum partem ex hæreditate materna consecuti sunt, & altera dimidia pars ad patrem, & post ejus obitum ad heredes ipsius pervenit prout in Dicasterio nostro Aulico judicatum d. 11. Julii 1710. in causa Seel. Herrn Friedrich Deutschen SS Theol. Doct. Prof. Prim. Königl. Preussif. Ober. Hoff. Predigers und Consistorial-Raths unmündigen Kindern anderer Ehe Vormünder contra denselben In Söhne und Erben erster Ehe in ass. & Decretum de 9. Nov. ej. an. Comprobatum; nobis ipsis fructu patrocini o nostro in contrarium laborantibus.

§. XLIV. Prout autem dampnum rerum conferendarum, earumque interitus ad liberos qui conferre tenentur spectat, ita quoque & lucrum ex rebus conferendis quantum ad illos pertinere debet licet sit maximum arg. L. 10. ff. de Reg. Juris. Nisi respectu ejus quod parentes liberis dederunt societas aliqua inter illos sit contracta, ex qua liberi lucrum perceperunt; id enim commune est, adeoque reliquis heredibus parentis defuncti conferendum pro rata parte Stryk. d. Dissert. XI. c. 4. §. 19.

§. XLV. De usuris expressa est constitutio Juris nostri quod conferri non debeant Pr. R. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.

D 3

Verb:

Verb: **Jedoch ohne Interesse.** Cujus constitutionis ratio, ni fallor, est quod ex usuris liberi elocati sese alere soleant & debeant: & quemadmodum, hoc ipso, finitur officium parentum alendi liberos, dum eos elocant, & liberi elocati non possunt petere collationem alimentorum, quæ parentes liberis nondum elocatis suppeditarunt. Ita quoque hi non possunt ab illis petere usuras eorum, quæ iis elocationis causa data sunt, quia usuræ hic sunt loco alimentorum. Et quod de usuris expresse est constitutum id quoque ad fructus commode extendi potest. Nam & fructus dotis vel donationis propter nuptias si supponamus rem aliquam fructiferam liberis datam esse à parentibus, in collationem non venire communiter statuunt Christian. *Vol. 1. Decis. 178. Vinn. c. 16. n. 10. Lauterb. d. Diss. §. 42.* Nisi liberi in mora sint conferendi, tunc enim & usuras & fructus post moram conferre necessum habent. *Carpzov. P. 2. C. 30. def. 19. n. 5. & P. 3. C. 11. def. 14 n. 5.* Contra morosum enim omnia clamant jura.

§. XLVI. Ut autem de mora liberorum collationi obstrictorum constare possit, jam dispiciendum, quo tempore fieri debeat collatio. Quod ipsum definitur Jure Prut. *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* Verb: **Wann dann die Erben zur Erbtheilung in Colnischen Gärten schreiten!** & Verb: **Das alles zu Zeit solcher Erbtheilung.** Ex quo inferimus collationem fieri debere in ipsa hereditatis divisione. Quamvis enim sæpius liberi collationi obnoxii urgere soleant præsentium rerum hæreditariarum divisionem, & collationis quæstionem post divisionem factam differre satagant, unde id commodi consequuntur ut partem ex hereditate sine lite consequantur, & postea

postea collationem longo & diutino processu morari & reliquos liberos ita defatigari possint. Sed huic malitiæ reliqui indulgere non tenentur & ei occurrere possunt, si urgeant collationem in ipsa hæreditatis paternæ divisione, vel si cohæredes collationi obnoxios non admittant ad hæreditatis divisionem antequam contulerint res conferendas: Quemadmodum itaque Divisio hæreditatis post trigésimum diem à morte parentis instituenda est, *Pr. P. R. Lib. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 5. in fin.* ita quoque ab hoc tempore liberi collationi obnoxii in mora conferendi esse videntur, ita ut vel usufructus vel fructus rerum conferendarum, pro diversitate earundem ab iis exigi possint *arg. L. 5. C. de Act. empt. quamvis & hoc casu interpellatione opus esse, ut liberi in mora conferendi constituentur, statuat Lauterb. in d. Dissp. de Collat. Dor. P. 2. §. 42. in fin.*

§. XLVII. Imo licet divisio hereditatis paternæ jam tum peracta & liberi collationi obnoxii ante collationem per errorem aliorum in partes hereditarias admissi sint, iste tamen error reliquis nocere non debet, quin adhuc collationem urgere possint *arg. L. 8. C. de Collat.* Quamvis enim divisio semel facta non facile rescindenda esse jubeatur. *Pr. P. R. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. n. 6.* Verb: Wir aber ordnen und wollen/ daß wann die Erbtheilung geschehen und vollendet worden/ ein jeder Erbe mit demjenigen was ihm worden /oder das Loß (fors) gegeben hat/ zu frieden seyn/ und sich begnügen lassen soll. Excipitur tamen ibi, (1) nisi quis ultra dimidium in divisione læsus sit (2) studio quidpiam, in hæreditatem conferendum, suppressum & non collatum sit; quibus casibus etiam divisione hæreditatis jam tum facta, nihilominus ad

ad huc collationem urgere possunt, reliqui cohæredes quibus erat conferendum.

§. XLVIII. Sæpius tamen in ipsa hereditatis paternæ divisione lis oritur circà conferenda, quæ quandoque factis diu ipsam divisionem morari solet, cum maximo incommodo cohæredum; ratio quandoque suadet, ut, ne ista lis impediatur divisionem, collationi obnoxii sub cautione admittantur ad divisionem hereditatis; hinc in *L. 1. §. 11. ff. de Collat.* dicitur collationem faciendam esse vel re ipsa vel cautione. Quæ cautio fidejussoribus & pignorum datis fieri debet *d. L. 1. §. 9. ff. de Collat. non obstat. L. 7. ff. de Prætor. Stipulat.*

§. XLIX. Alias moribus nostris collatio fieri debet jurato ita ut ipsi liberi ad divisionem hereditatis paternæ vel maternæ procedentes jurisjurandi religione constringantur, ut indicent, quid quantum & quale à parentibus suis acceperunt, quod conferendum est, *Pr. LX. d. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 2. Verb: so müssen sie in Theilung bringen/ mit ihrem Eyde alle das Gut da sie mit abgefondert / ob es fahrende Haabe ist.* A quo collationis juramento non mox excluduntur liberi, licet fatalia aliis juramentis judicialibus purgatoriis & suppletoriis Jure nostro *Lib. 1. Tit. 40. Art. 6. §. 1.* præscripta elabi sint passi, prout sæpius judicatum fuisse memini; ab eo tamen excludendi sunt nepotes qui probabiliter accepta à parentibus ignorant Brunemann. *in Com. ad L. 1. ff. de Collat. num. 10.* *Mev. P. 4. Decis. 232.*

§. L. Sed & liberi collationi obnoxii ab hoc juramento collationis liberare se possunt, si probationem eorum quæ à parentibus acceperunt, alia ratione peragere possint; *Pr. LX. d. 1. Verb: Ist es aber ander Gut das man beweisen*

sen mag; da dörffen sie nicht für schweren. Qua probatio-
ne audiendi sunt liberi, licet pater vel mater conferenda
consignaverit, aut in testamento determinaverit aliter
arg. L. 6. C. de prob. præcipue si per istam consignationem
vel determinationem paternam aut maternam fraus fieri
videatur legitimæ liberis debitæ Anton. Faber. *in C. Lib. 3.*
Tit. 19. Def. 29. n. 10. Carpz. *P. 3. C. 11. def. 16.* Nam talis pa-
rentum determinatio, quæ probatur esse falsa, veritati præ-
judicare non debet *Mev. P. 4. Decif. 233. n. 5.*

§. LI. Ad modum collationis quoque referimus, quod
ea alternative fieri debeat, & vel ipsa res à parentibus
accepta vel ejus æstimatio sit conferenda **Pr. LX.**
L. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1. Verb: **Das alles sollen sie zu Zeit sol-**
cher Erbtheilung in gemeine Erbschafft jedoch ohne Interesse
zu conferiren / einzubringen / oder aber so lang bis dem andern
auch so viel aus den Erb. Gütern werde still zu stehen schul-
dig seyn:

§. LII. Sed quæritur, cui nam competat electio? Sæ-
pe enim liberi collationi obnoxii rei conferendæ singula-
rem habent affectionem, quam etiam reliqui, quibus fieri
debet collatio, affectore solent, ut pro ea, ex aliis rebus
hæreditariis sibi satisfieri non sint contenti, sed ipsius rei
collationem urgeant; Quibus patrocinator communis
sententia Doctorum ipsam rem conferendam esse statuen-
tium vid. Branner. *c. 5. n. 40. seqq.* Lauterbach. *d. Dissp.*
P. 1. § 53. exceptis quibusdam casibus à Brunnem. *in Com.*
ad L. 5. C. de Collat. n. 4. recensitis; extra quos iniquum
esse judicatur, cohæredibus pro rebus conferendis æstima-
tionem obtrudere *arg. L. 16 C. de Solut.* Sed pro liberis col-
lationi obnoxii militat, quod in nostro Jure alternativa

E

ob-

obligatio iis sit iuncta, vel ut res ipsas conferant, vel ut tanto minus ex hereditate parentum capiant: in cuiusmodi obligatione, electio esse solet debitoris *c. 70 de Reg. Juris in 610 §. 33. Inst. de action.* & quidem liberis hoc in casu id, eo magis, concedendum est, quo ipsam rem ex voluntate parentum jam antea acceperunt, adeoque etiam ex præsumpta parentum voluntate jus habere videntur eam retinendi Conf. Gisbert. *Peric. Statut. P. 2. Tit. 29. num. 22.*

§. LIII. Prout autem liberis collationi obnoxii electio competit, vel ipsas res à parentibus acceptas conferendi, vel tanto minus ex hereditate paterna vel materna accipiendi: ita quoque reliqui cohæredes quibus est conferendum compelli non possunt, ut loco æstimationis rerum conferendarum, aliæ res hæreditariæ iis obtrudantur invitis *arg. L. 16. C. de Solut.* Sed & his electio deneganda non est, an ex parata pecunia in hæritate paterna existente: an vero ea deficiente, ex aliis rebus hæreditariis iudicio familiæ herciscundæ sibi velint satisfieri conf. Carpzov. *P. 3. C. 11. def. 30.*

§. LIV. Collationis effectus est, ut bona collata fiant hæreditaria, hæritatem paternam vel maternam augeant & pingviores faciant portiones hæreditarias etiam eorum qui ea contulerunt *Lauterbach. d. Diss. §. 59.* Cui quoque consequens est, quod si res collata post collationem pereat, non conferenti, sed hæreditati, adeoque omnibus cohæredibus perire debeat.

§. LV. Et quemadmodum ipsa hereditas parentum delata liberis, post mortem eorum non solum in nepotes

exiis natos : sed & in extraneos eorum heredes qualescunque transmittitur, licet nondum adita sit Carpz. P. 3. *Const. 14. def. 23. n. 3.* ita quoque jus collationem petendi in heredes qualescunque transit, qui ex persona liberorum defunctorum, quorum heredes existunt vel collationem petere, vel etiam ad collationem constringi possunt. Quo enim casu hæreditas ipsa nondum adita, aut per immixtionem nondum acquisita transmittitur, eo etiam casu vel obligatio conferendi vel jus collationem petendi transmissæ hæreditati cohærens transit in successorem Vinn. c. 16. §. 6.

§. LVI. Imo & Jus personalissimum liberis quibusdam datum, licet in hæredes non transeat, facta collatione, iis saluum manet. Sic cum Jure Prut. *Lib. 5. Tit. 14. Art. 1. §. 2.* in Civitatibus dividendæ hæreditatis modus sit introductus, quo major dividere debet: minori autem jus optandi & eligendi conceditur, quod tamen ad hæredes non transit, disputatum aliquando est, an hoc jus optandi competere debeat minori ex liberis, qui tamen plus debebat conferre hæreditati paternæ, quam ipse sperare poterat ex ea, & quidem potissimum hoc argumento: Qui ex successione paterna nihil consequitur, ille nec jure optandi gaudere debet. Sed responsum fuit huic argumento, quod, licet plus pecuniæ quis hæreditati conferre teneatur, quam ipse ex ea hæreditate sperare possit; jus tamen hæreditarium, & quod ei annexum est optandi jus minori competens, aliquando omni pecunia prætiosius, ea propter alicui denegandum non sit, pro qua sententia etiam in *Judicio Anlico*

Anno 1707. d. 12. Julii *judicatum* & in S. Tribunali *Decretum*
 fuit d. Anno. d. 7. Nov. quod refert Dn. D. Grub. Confil.
 Jud. Aulici meritissimus in *Compend. Juris Prut. Lib. 5. Tit.*
14. Art. 1. §. 2. ad Verb: in den Städten aber zc.

§. LVII. Pergendum jam nobis est ad ultimam
 hujus Disputationis partem, & dispiciendum quando
 & quibus in casibus cesset Collationis necessitas. Ea
 itaque cessat (1) ex voluntate parentum quibus suc-
 cedendum est. Quando enim parentes, dotem, do-
 nationem propter nuptias & aliud quid, quod libero-
 rum elocandorum gratia dederunt, quodque alias re-
 gulariter conferendum est, à necessitate collationis
 eximunt, huic quoque parentum voluntati liberi hæ-
 redes se conformare tenentur. Ut ut enim officium
 parentum elocandi liberos, sit generale, erga omnes
 liberos se exerens: interim tamen quomodo & qua
 ratione liberos suos elocare debeant, id quidem ex
 jure Naturæ determinari nequit, sed relinquendum est
 arbitrio parentum qui pro re nata occasione sese ac-
 commodare solent: Et licet hoc parentum arbitrium
 Jure nostro *Lib. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 11.* ad æqualitatem
 inter liberos observandam videatur esse restrictum
 Verb: In andern Fällen aber sollen die Eltern unter den
 Kindern Gleichheit zu halten schuldig seyn: Attamen
 in nostro textu *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* parentibus
 concessa est facultas remittendi necessitatem collatio-
 nis Verb: Es wäre dann / daß die Eltern in ihrem Te-
 stament, solche Collation und Einbringung ausdrücklich
 oder stillschweigend durch geschene Erb - Einsetzung /
 ohne

ohne einige Vermeldung der Einbringung verbohren hatten.

§. LVIII. Quam tamen facultatem parentum remittendi collationis necessitatem limitamus ita, ut per eam liberis reliquis non fiat præjudicium in Legitima. Adeoque si tanta dos à parentibus alicui filiaë, vel tanta donatio propter nuptias filio sit constituta eaque à necessitate conferendi exempta, ut reliquis liberis dodrans hæreditatis paternæ, in quo Legitima Juris Prut. consistere debet *Lib. 5. Tit. 3.* non sit falsus, quin, non obstante parentum voluntate liberi dotati & elocati, à reliquis compelli possint ad collationem & supplementum dodrantis dubium non est, **Pr. LX.** *Lib. 4. Tit. 14. Art. 1. §. 5.*

§. LIX. Ut autem collatio ex voluntate parentum cesset, requiritur ut eà sit à parentibus prohibita in Testamento **Pr. LX.** *Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 1.* Verb. im Testament & §. 5. im Testament. Id tamen non exigitur, ut ista prohibitio sit facta in Testamento solenni; qualiscunque enim dispositio parentum inter liberos, ex qua seria eorum voluntas colligi potest, instar legis est, quam individenda hæreditate liberi sancte observare debent *arg. §. 16. Jur. Prut. Li. 16. Tit. 35. Art. 8.* Imo & coram testibus declarata voluntas parentum adhuc viventium, collationem remittere potest, vid. Stryk. *d. Diff. XI. C. 6. §. 8.*

§. LX. Et quidem dupliciter prohibitionem collationis in Testamento fieri posse dicitur in nostro textu: expresse vel tacite. Expressa voluntas colligitur

gitur ex Verbis in Testamento vel alio modo, satisclare expositis. Tacita autem ex aliis factis voluntatem declarantibus. Exemplum collationis, tacita parentum voluntate prohibita refert ipse textus Juris nostri, si parentes, non facta mentione collationis Liberos simpliciter instituunt heredes in Testamento; sic enim collationem eorum quæ antea alterutri liberorum dederunt prohibuisse, & liberos pro ea parte, quam illis in Testamento adscripserunt, hæredes esse videntur voluisse. Et quamvis Justinianus in *Nov. 18. c. 6.* non aliter collationem ex voluntate parentum cessare velit, quam ut collatio expresse sit prohibita: in casu autem, ubi liberi à parentibus in Testamento hæredes sunt instituti, nulla facta mentione Collationis; eam tamen adhuc locum habere debere statuat, eo, quod testator forte datorum oblitus, aut præ tumultu mortis eorum memoratus non sit. Ista tamen conjectura Justiniani non est tanti, ut non potius pro deliberata parentum in Testamento declarata voluntate præsumendum sit, quod, cum liberos simpliciter heredes scripserint, etiam collationem inter illos cessare debere voluerint, *vid. supr. § 17. & seqq.*

§. LXI. Aliud exemplum voluntatis tacitæ, qua parentes collationem prohibuisse videntur affert Carpov: *P. 3. C. 11. def. 24.* Si pater in compensationem ejus, quod liberis prioris matrimonii dedit, prælegaret quidpiam liberis posterioris matrimonii, quo facto liberis prioribus datorum collationem remisisse videtur. Alias enim nulla esset compensatio, nec æqua-

æqualitas fervaretur, quam parens in hoc prælegato inter liberos utriusque matrimonii asservare videtur voluisse Hartm. Pistor. *P. 1. Q. 19. n. 11.* Quod si tamen simpliciter liberis posterioribus aliquid esset prælegatum, ita non mox collatio dotis prioribus liberis datæ remissa est conf. Stryk. *all. l. c. §. 7.*

§. LXII. Sed instituerat quis liberos heredes absque facta mentione collationis, & post conditum Testamentum consignationem expensarum in nuptias alterutrius liberorum factarum fecerat, eo defuncto in hereditate ejus inter liberos dividenda quæsitum esse memini, an collatio expensarum istarum ex tacita parentis voluntate cessare debeat, an vero per consignationem istam prohibitio collationis tacita, iterum revocata sit: quod ultimum nobis non videtur factum esse. Neque enim ex qualicunque erogatorum consignatione mox apparet, quod parens eam consignationem voluerit esse regulam conferendorum *Mev. P. 4. Decis. 233.* sed illa consignatio notitiæ gratia facta esse videtur, ut inde constaret, quid & quantum liberalitatis parens præstiterit liberis elocatis in Testamento simpliciter institutis Conf. Præ-Nobiliss. Dn. D. Grub. *Consil. Jud. Aulici merit: Processus Juri Prut. C. 14. Memb. 20. n. 34.* Debuisset itaque in isto casu parens expressius suam voluntatem declarasse, si per istam consignationem voluisset, prohibitionem Collationis in suo testamento tacite ex Juris nostri præsumptione factam revocare.

§. LXIII. Cessat (2) collatio ex privilegiata bonorum.

norum à parentibus liberis datorum qualitate *supra* §. 27. & *seqq.* exposita, utpote si non elocandi, sed donandi prælegandi aut alendi gratia quidpiam liberis sit datum: item quæ Studiorum vel aliarum artium ad-discendarum: aut honoris consequendi causâ liberis propria bona non habentibus data, & Collationis necessitati expresse à parentibus subiecta non sunt: hinc sumptus ad gradum Doctoris vel Titulum Notarii obtinendum pro filio facti à parentibus, reliquis liberis conferendi non sunt, nisi eos parentes conferre jufferint Carpzov. P. 3. C. 11. def. 17. & 18. Hisce enim sumptibus privilegium est datum, ut non sint conferendi; nisi parentes de iis expresse disposuerint aliter, prout supra est demonstratum.

§. LXIV. Ex simili fere ratione inter Conjuges sibi invicem succedentes in dimidiam partem omnium bonorum Culmensium, ubi tamen omnia bona utrinque conferenda sunt, cessat collatio quorundam bonorum, ita ut maritus ex bonis communibus inter se & hæredes uxoris defunctæ dividendis conferre non teneatur arma & optimam vestem: Uxor vero, marito defuncto, cum ejus hæredibus divisionem hæreditatis instituens, annullum pronubum & pretiosissimam vestem sibi retinere possit, eaque conferre non habeat necessum **Pr. 22.** Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 7. Unde consequitur quod alia omnia, & hinc etiam vestes quotidianæ sint conferendæ. Professoribus tamen Academiæ nostræ datum est ab Alberto primo Duce Prussiæ, piæ memoriæ, privilegium Anno 1557. d. 18. April.


Königsberg, Diss., 1774/19

ULB Halle 3
001 856 294



St





DISPUTATIO JURIDICA SOLENNIS
DE

COLLATIONE
BONORUM,
JURIS PRUTENICI,

Vulgo:

Von Einbringung der Güter
in Schicht und Theilung/

Pr. IX. Lib. 5. Tit. 14. Art 2.

QUAM
AUXILIANTE DEO,
DECERNENTE AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO
CONSENTIENTE INCLYTA FACULTATE JURIDICA,
IN ACADEMIA ALBERTINA.

PRO LOCO,
PROFESSIONIS ORDINARIAE TERTIO,
Publicae disquisitioni submittit

DAVID STAVINSKI, U. J. D.

Respondente

JACOBO SALOMONE *Meißner*

Medn. Pruff.

IN AUDITORIO MAJORI.

Anno 1716. die 8. Octobris

Horis ante , & pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

LXII

113

12

1916, 3